

genti gloria per se, sine ullis Carthaginiensium opibus, gessit bellum. In Hispania nihil memorabile gestum, praeterquam quod Celtiberum iuventutem eadem mercede, qua pacta cum Carthaginiensibus erat, imperatores Romani ad se perduxerunt: et nobilissimos Hispanos supra trecentos in Italiam ad sollicitandos populares, qui inter auxilia Hannibalis erant, miserunt. Id modo eius anni in Hispania ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem in castris neminem ante, quam tum Celtiberos, Romani habuerunt.

EPITOME LIBRI XXV.

P. Cornelius Scipio, postea Africanus, ante annos aedilis factus est. Hannibal urbem Tarentum, praeter arcem, in quam praesidium Romanorum fugerat, per Tarentinos iuvenes, qui se noctu venatum ire simulaverant, cepit. Ludi Apollinares ex Marci carminibus, quibus Cannensis clades praedicta fuerat, instituti sunt. A Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus adversus Hannonem Poenorum ducem prospere pugnatum est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul, ab hospite suo Lucano in insidias deductus, a Magone interfectus est. Centenius Penula, qui centurio militaverat, quum petisset a senatu, ut sibi exercitus daretur, pollicitusque esset, si hoc impetrasset, de Hannibale victoriam, octo millibus acceptis, militum dux factus, confligit acie cum Hannibale, et cum exercitu caesus est. Cn. Fulvius praetor male adversus Hannibalem pugnavit. In quo proelio hominum sexdecim millia ceciderunt: ipse cum equitibus ducentis effugit. Capua obsessa est a Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus. Claudius Marcellus Syracusas expugnavit anno

tertio, et ingentem se virum gessit. In eo tumultu urbis captae Archimedes, intentus formis, quas in pulvere descripserat, interfectus est. P. et Cn. Scipiones in Hispania tot tantarumque rerum feliciter gestarum tristem exitum tulerunt; prope cum totis exercitibus caesi anno octavo, quam in Hispaniam iverant: amissaque eius provinciae possessio foret, nisi L. Marcii equitis Romani virtute et industria, contractis exercituum reliquiis, eiusdem hortatu, bina castra hostium expugnata essent. Ad triginta septem millia caesa, ad mille octingentos triginta capti, praeda ingens parta. Dux Marcius appellatus est.

T. LIVII PATAVINI
LIBER XXV.

Dum haec in Africa atque in Hispania geruntur, Hannibal in agro Tarentino aestatem consumpsit, spe per proditionem urbis Tarentinorum potiundae. Ipsorum interim et Sallentinorum ignobiles urbes ad eum defecerunt. Eodem tempore in Bruttis ex duodecim populis, qui anno priore ad Poenos desciverant, Consentini et Thurini in fidem populi Romani redierunt. Et plures rediissent, ni T. Pomponius Veientanus praefectus socium, prosperis aliquot populationibus in agro Bruttio iusti ducis speciem nactus, tumultuario exercitu coacto, cum Hannone conflictisset. Magna ibi vis hominum, sed inconditae turbae agrestium servorumque, caesa aut capta est: minimumque iacturae fuit, quod praefectus inter ceteros est captus, et tum temerariae pugnae auctor, et ante publicanus, omnibus malis artibus et reipublicae et societatibus infidus damnosusque. Sem-